



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 185. Consensus Apostolicus in alienatione, qualiter concedatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

gioni, dum sic facilius observetur, & jurans remotior fiat à periculo periculi.

Quest. 185. Consensus Apostolicus in alienationes qualiter concedi soleat?

REsp. juxta modernam praxin concedi non solet, nisi præmissa delegatione aliquorum in dignitate constitutorum, quibus committitur, ut si ipsis de utilitate alienationis constiterit, assensum nomine Pontificis præstent; sin minus, denegent. Delb. c. 17. du. 9. in difficult. resol. num. 31. citato Barbol. de potest. Epif. p. 3. alleg. 95. n. 66. Ricc. in pr. Decif. 94. edit. 1. Wiestn. h. t. num. 108.

§. Tertius de alienationis revocatione, rerum alienatarum repetitione, & pœnis malè alienantium.

Quest. 186. An & qualiter Ecclesia possit agere contra Prælatum, qui res illius malè alienavit?

REsp. Competit ecclesiæ actio personalis contra Prælatum seu Rectorem quemcumque, qui res illius malè, hoc est illegitimè, nimirum citra sufficientem causam necessitatis aut utilitatis, vel sine solennitate canonica, adeoque invalidè alienavit, dum ex tali alienatione attentata læsa est, ut damnum illatum resarciat; vel de proprio, si quod habet, patrimonio, vel rem alienatam recuperando *Can. monemus. 12. quest. 2. & Arg. l. 3. C. si Tutor vel curat. interven. æquiparatur* liquidem ecclesiæ respectu rectoris sui pupillo & minori. c. 1. & c. auditis. de in integ. restit. Laym. loc. cit. thes. 7. quorum res si tutor vel curator malè distraxit aut administravit, contra eos pupillus & minor actionem habent ad omnis damni sibi illati resarcitionem juxta *cit. l. 3.* transitque hæc actio personalis ecclesiæ ad rectoris malè alienantis hæredes, si quos habet; tenenturque hi ecclesiam servare indemnem, non secus ac Rector illius defunctus. c. 3. de pignor. Abb. *ibidem* num. 3. Laym. num. 2. Pirh. h. t. num. 69. Cessat tamen hæc actio personalis & Rector aut ejus hæredes desuper amplius conveniri nequeunt ad interesse, ubi ecclesiæ rem suam malè alienatam recuperavit à possessore illius. l. 1. §. si plures. ff. de eo, per quem factum fuerit. Cum enim bona fides non patiatur, ut idem bis exigatur. Juxta *reg. § 2. in ff. ecclesiæ jam consecuta suum interesse, non potest amplius ad illud consequendum agere dicta actio* ne personali. Non prohibetur tamen agere ulterius criminaliter contra malè alienantem, accusando illum in ordine ad penam, seu satisfactionem pro injuria sibi illata. Gloss. in *cit. c. monemus. v. reddere.* Abb. in *c. si quis. h. t. num. 10.* Laym. *ibid.* num. 5. & de reb. non alien. thes. 38. Pirh. loc. cit.

Quest. 187. An & qualiter competat Ecclesiæ actio contra possessorem rei malè alienatæ?

REsp. competit quoque ei actio prosecutória rei seu in rem contra possessorem rei alienatæ. c. Apostolicos 12. quest. 2. & Arg. *cit. l. 3. & l. fin. C. eod.* estque in ejus electione, num hunc potius quam malè alienantem velit convenire. Ita etiam, ut postquam hunc frustra convenit, hoc ipsum non præjudicet illi, quò minus adhuc convenire possit possessorem. Gloss. in *e. ex presentium. de pignor. v. necessitate.* juxta *cit. l. fin.* cum sola solutio seu recuperatio rei alienatæ silentium imponat, nempe ecclesiæ damnificatæ. Atque ita possessor, seu is, ad quem res malè alienata transit, utpote in quem vi talis alienationis attentatæ & ipso jure irritæ dominium nullum aut jus translatum tenetur & compelli potest ad rem ipsam cum omnibus fructibus (res enim fructificat domino suo) restituendam. c. si quis presbyterorum. h. t. §. fin. l. jubemus. & Auth. qui res C. de SS. eccles. Covar. l. 1. var. c. 3. Valq. de reit. c. 2. §. 2. du. 15. Molin. *cit. d. 468.* Bonacin. d. 3. de contract. feudi quest. 8. p. 4. num. 12. Delb. de immun. eccl. c. 17. du. 21. §. 2. num. 2. deductis tamen, ut idem, expensis in foro externo, ita ut etiam, si mala fide seu sciens alienationem illegitimè factam, eam recepit, amittat melioramenta l. jubemus. §. sane C. de SS. eccles. c. non licet. 12. quest. 2. Abb. in *cit. c. si quis. num. 1. & 6.* Pirh. h. t. n. 70. Reiffenst. num. 63. neque etiam ab alienante repetere possit pretium, quod in eo casu acquiritur ecclesiæ læsæ in penam commissi delicti ab emente. *cit. l. jubemus.* Molin. Bonac. Delb. Pirh. Reiffenst. LL. *cit.* nisi forte emptor etiam malè fidei prius convenerit cum venditore de præstanda evictione. Abb. in *cit. c. si quis. num. 13.* Sylv. v. alienatio quest. 14. Molin. *cit. quest. 468. concl. 6. n. 16.* Laym. *th. mor. l. 3. tr. 4. c. 10. num. 4.* in fin. quos citat & sequitur Pirh. *loc. cit.* quin & tenetur emptor malè fidei compensare damnum (intellige, quod præter alienationem rei illatum ecclesiæ) utpote cujus ob malam fidem censetur causa fuisse Abb. Molin. Bonac. Delb. LL. *cit.* Less. l. 2. c. 24. du. 10. num. 66. contra Quarant. Sarmient &c. Si verò emptor bona fide emit, poterit agere contra Prælatum ad recuperandum pretium. Et sic in specie conductor bonæ fidei potest agere contra illegitimè elocantem, etiam non reddito pretio, ad restituendas pensiones solutas, & locator ad id compelli juxta *c. ad audientiam h. t. Pirh. num. 72.* agere tamen non potest contra ecclesiam, nisi in defectum, ubi nimirum Prælatus malè alienans non esset solvendo ex propriis. Tunc enim repetere potest ab ecclesia, in quantum ea exinde facta est locupletior cum juxta *l. nam hoc ff. de condict. indebiti.* æquitas non permittat, fieri aliquem ditiores cum damno alterius; & ea tenetur illud restituere. Molin. Valq. Bonac. Sylv. Abb. LL. *cit.* Delbene, num. 5. qui etiam dicunt, quòd, si ecclesiæ pretium retineat, vel etiam facta sit ditior ex tali contractu, posse emptorem bonæ fidei rem ecclesiæ aut ejus fructus retinere titulo recompensationis pretii sibi restituendi, donec